



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem, Varronem, Columellam Castigationum

Vettori, Pietro

Lvgdvni, 1542

È Primo Libro Colvmellae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12981

E P R I M O L I B R O
C O L U M E L E
L A E.



Ἡράκλειδης Ποντικός, εἰς μὴ γέτωρ κακὸς εἶν.
Heraclides Ponticus, disertus uir, magnusq;
philosophus, περὶ πολιτεῶν scripsit, nam
hoc etiam significauit Cicero, cum in epi-
stola ad Q. Fratrem de iudicio Sallustij loquens, quod de
suis de Rep. libris faciebat, inquit: Praesertim cum essem,
non Heraclides Ponticus, sed consularis: ille enim quam-
uis de Rep. administranda accuratè scripsisset, in publicis
rebus uersatus nunquam fuerat. Horum Heraclidis libro-
rum ἐπιτομὴν in Medicæa bibliotheca inueni: qui autem
excerpsit, maximè quæ de moribus institutisq; plurima-
rum gentium agerent, collegit. Vbi igitur de Cumanis,
qui Aeolidem incolebant, sermo est, docet consuetudinem
eos habuisse, ut uicini contra fures, latronesq; arma cape-
rent, & expilatis succurrerent: inde autem fit, inquit ille,
ut pauca admodum amittant: omnes enim una mente res
aliorum perinde, ac suas defendunt: unde nonnulli existi-
marunt hoc protulisse Hesiodū, cum cecinit, Sed neq; bos
unquam periret, nisi quis malum uicinū habeat. Respexis-
se enim eum ad hunc Cumanorum morem, quem egregiè
cognitum habebat: illinc enim oriundus erat. quod ipse
quoq; in Poëmate suo testatus est: ait enim, patrem ipsius
Dium relicta Cuma Aeolide in Bœotium agrum migrasse.
Eruditam, elegantemq; Hesiodij carminis declarationē ex
abditis Græcorum monimentis erutam, non incommodè
mihi uideor peruulgasse.

Pronuntiauit adhibendum modum. Verba hinc
Græca

Græca tollenda puto, nam Latinis uim illarum expressit Columella, nec in antiquis libris uestigium ipsorū uidetur. cum quibus uocibus Græci hanc sententiā proferrēt, quispiam in margine sui libri adscripsisset, librarius, aut corrector aliquis, operæ pretium se facere putauit, si ea huc inculcaret, ubi necessariae nullo modo sunt. Plinius etiam præceptū hoc Latinis uerbis enūtiavit lib. x viii. cap. vi. Imò hercule iudico, modū rerum omniū utilissimum.

E LIBRO II.

SEd quādoq; arabitur. Ambo manu scripti codices, Quandoq; , habent : formis antea excusi, Quandoq; : id quod non uno tantum hoc loco est, ut negligētia librarij hoc cōmissum esse uideri possit, sed nonnullis etiam alijs : ut in i i. libro, Quandoq; in usus prompserimus, integram lentem reperiemus. & in i i i. Quandoq; igitur uinitor hoc opus obibit: nam posterioribus his etiam duobus locis in impressis, Quandoq; , antea erat. Quādoq; igitur, non Quandoq; dixit Columella. Sed hoc alij quoq; boni auctores fecisse reperientur. Seneca certè sic locutus est : & si nonnulli locū apud eum maculosum putantes, ex Quandoq; , contrario ac nos cōsilio usi, Quandoq; fecerunt. Cū hæc scripsissem, accepi à Iosepo Iouio Lucensi, docto, & humano uiro, ueteris sanctitatis, ac modestiæ hominem, eundemq; præclaræ eruditionis iudicijq; , Tryphonem Chabrielem, putare, Q. Flaccum Quandoq; , pro Quandoq; sumpsisse, cū Poëticiæ artis præcepta tradens, inquit:

Sic mihi qui multum cessat fit Chærilus ille,
Quem bis terq; bonum cum risu miror : idemq;
Indignor quandoq; bonus dormitat Homerus.